

Atq³ haectenus de numerorum logistorum Notatione:
Sequitur Reductio.

Reductio est ratio reducendi numeros vel vulgares in logísticos, vel contra logísticos in vulgares: idq³ tum in integris, tum in fractis: Ideoq³ Reductio erit quadruplex.

- I. Vulgarium integrorum in logísticos, idq³ in sexagenas. Et contra,
- II. Logisticarum sexagenarum in vulgares integros.
- III. Vulgarium fractionum in Logistica scrupula. Ac deniq³,
- IV. Logistorum scrupulorum in vulgares fractiones.


De quibus capienda haec quatuor, tum Regulae, tum Exempla sequentia.

I. Reductio integrorum numerorum in se inuicem.

Reductio integrorum vulgarium in Logisticas sexagenas fit per diuisionem in 60. Sed compendiosius primum per maiorem seu maximam quandam collectionem resolutarum per multiplicationem sexagenarum, vt puta, in 3600. vel 216000. vel 12960000. vel etiam in maiores collectiones.

Exempli gratia.

Reducendus sit hic vulgaris numerus 378945. in numerum Logisticum. Per continuam igitur diuisionem in 60. primo fiunt Sexagena prima 6315. remanentibus 45. integris. Per secundam itaq³ diuisionem in 60. fiunt 105. sexagena secunda, relictis 15. primis. Per tertiam deniq³ diuisionem fit vna sexagena tertia, relictis 45. secundis. Idq³ vulgariter. Sed compendiosius, vt supra dictum est, per maiores collectiones, vt per 3600. tot enim integra continet vna sexagena secunda: vel per 216000. collectio videlicet vnus sexagena tertia.



II. Reductio sexagenarum è contrariò fit per continuam multiplicationem, tanquam per Analysin seu resolutionem sexagenarum per 60. (vel etiam equè ac prius per maiorem quandam collectionem si libuerit) incipiendo à maximâ seu primâ sexagenarum specie versus sinistram, procedendoq³ dextrorsum, semperq³ addendo numerum proximè sequentium sexagenarum ad productum è facta prius multiplicatione numerum. Atq³ ita rursum multiplicando addendoq³, donec tandem ad minimam sexagenarum speciem, vel ad integra deuentum fuerit.